S. P. 3 4

Litteras tuas Johannes ~~cum Patre~~ nono ~~[illegible]~~
die huius mensis accepimus. Ex quibus intelligimus
te putare nos non modo remissis verum etiam inter-
missis studijs prorsus indulgere otio; erras sane; nam
non minus quam domi tum Grammaticam tum Syn-
taxin, tum Phrases indies perlegimus. Quaeris prae-
terea ut quae quoque die viderimus et audiverimus
ad Patrem et te scribamus; habemus quidem operam
sed omnia mandare memoriae non possumus, tot enim
toto die nugas videmus ut aliud alio obliviscamur,
quae tamen retinui scribam, postquam ita volis.
Episcopum nudiustertius audivimus concionantem
vel potius magno conatu magnas nugas dicentem,
eodemque die missam facientem in templo gl. Mariae.
Sumus hic plane soli nam Cognatus van Vogelaer
cum uxore et filia, et Cognata Hortensia Bruxel-
las petierunt, ita ut tantum. Mater, Avunculus,
et nos tres cum Cognata Brilli hic domi simus,
Cognatum Vogelaer perendie vel die Sabathi rever-
surum putamus. Hisce vale et ut ego quae hic
sic etiam tu quae ~~illic~~ istic fiant scribe. Antverpiae
xi. die Junij Anno CIↃ IↃ CIX

Tuus

Constn: Huygens

Probis.mo doctissimoq[ue]
Iuveni Iohanni Dedel

Hagæ-comitis

© Koninklijke Bibliotheek
KA 44, nr. 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7